Piekarowicz Jacobi: Concio gratulatoria Illmo ac Rdissimo D. D. Remigio Koncza-polski.

CONCIO GRATVLATORIA.

Illustr^mo^ ac R^dissmo^ in Christo Patri & Domino,

D. REMIGIO A KONIECPOLE KONIECPOLSKI

DEI & Apostolicæ Sedis gratia,


EPISCOPO CHELMENSI, ABBATIAE ANDREIOVIENSIS PERPEtuo Administratori. In primo ad Cathedralem Ecclesiam Chelmensem aduentu.

A R^do^ IACOBO PIEKOSZOWIC Canonico & Concionatore Ordinario Cathedrali Chelmeñ facta.

LEOPOLI,

In Officina Typographica Ioannis Szeligæ, ARCHIEPISCOPALIS Typog. A. D. 1629.

IN ARMA ILLVSTRISS: DOMVS.



Stemma Conespolium, ſacra Crux, pietatis auitæ,
Et ſolea, indicium, roboris Herculei.
Quàm benè Crux ſoleam exornat, tàm robur adornat
Relligio, bina hæc quàm probè conueniunt!
Donec fulgebit Crux, ferrum bella domabit,
Iſta indiſiunctim Symbola permaneant.

IACOB: PIEKOSZOWIC Can:
& Conc: Ordin: Cathedr: Cheſm.

Illuſtr.

Illustr^mo ac R^dissi^mo in Christo Patri & Domino,

D. REMIGIO A KONIECPOLE KONIECPOLSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis gratia, EPISCOPO CHELMENSI, ABbatiæ Andreiouień, perpetuo Administratori, Domino Colendissimo.

CONCIONFM EPIchericam siue Sinchericam aduentui Tuo in Diœcesim Chełmeń felici factam, Amplissimo Nomini Tuę Amplitudinis dedico, consecroquè, Illustrissime ac Reuerendissime Antistes. De pace fienda in virtute Tuâ ipsam contexui. Hanc enim materiam, et Crux sancta soleę in Stemmate Tuo Illustri superposita indi-

 cabat,

cabat, & temporum iniquitas pręſentium expoſcebat. Crux inquam in Stemmate Tuo ſoleę ſuperpoſita, pacis materiam indicabat: Quia eſt Symbolum pacis. Per Crucem enim pacificauit nos Filius DEI cum Patre ſuo. Sic enim Apoſtolus. Pacificans per Sanguinē Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. *Ideò oramus.* Per ſignum Crucis de inimicis noſtris libera nos DEVS noſter. Iniquitas temporum pręſentium idem expoſcebat. Quis enim turbulentis iſtis temporibus non pacem magis quam belli motus poſcat. Hanc exoptamus omnes, illam habere quantocius auemus, ipſam à Deo cum uniuerſa Catholica Eccleſia quotidie poſcimus orañ: Da pacem Domine in diebus noſtris. Nec immerito. Quid enim pace ſalubrius, vtilius, deſiderabiliusuè haberi poteſt? Princeps ipſe pacis, non niſi tempore pacis voluit & dignatus eſt naſci. Sic de ipſo prophetabat qui dicebat: Orietur in diebus iuſtitia & abundantiâ pacis. Nouit nauicula Petri

Coloſſ. 1.

Pſal. 71.

flucti-

fluctibus diuersis post Christi ascensionem fluctuata ideoque in Canone infra Actionē Sanctus Leo Romanus Pontifex addidit: Diesque nostros in tua pace disponas. Nouit & Carissima patria mater & altrix nostra Polonia temporibus hisce calamitosis afflicta, nouit inquam quam sit desiderabilis pax. Pacidicam itaque Concionem Tibi offero Illustrissime ac Reuerendissime Antistes & Domine Colēdissime, quam vt grato animo accipias, & me authorem ipsius in sinum beneuolentiæ Tuæ Heroicæ suscipias etiam atq; etiam desidero & postulo, ac precor Sic enim propositi mei fors non illaudabilis vires augebis, manumque eidem admouebis. Obsequia mea perprompta Illustrissime ac Reuerendiss: Amplitudini Vestræ & me ipsum commendo atq; reddo. Datum Crasnostauiæ ad Cathedralem Chelmeñ Ecclesiam die 14. Ianuarij. Anno Domini 1629.

Illustr: ac Rndiss. Amplitudini Vestræ obsequentissimus.

Iacobus Piekoszowie Canon: & Conc: Ord, Cathedr: Chelm.

CONCIO.

Fiat pax in virtute tuâ, & abundãtia in turribus tuis.

Psalm. 121.

PLACENT mihi verba Platonis libro de legibus dicentis: Non decet nos nimios esse in laudandis ijs qui pacem custodiunt, aut immodicos in vituperandis ijs qui bellũ gerunt. Fieri enim facillimè potest vt qui bellum gerit consequendæ pacis; contrà verò qui pacem colit, mouendi belli causâ, id faciat. Et verò. Breue bellum longæ pacis gratiâ, quàm longi belli gratiâ, breuem optare pacem satius est. Et Traianus dicebat: Iustum bellũ pace suspectâ tutius est. Rectè quidem isti & prudenter dixerunt fateor, verùmtamen fortè illud verius:

Plato lib. 5. de legibus.

Tacit. ann. 4.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Melior enim (vt Liuius ait) tutiorq; est cer-

Liu. lib. 8.

ta pax, quàm incerta victoria: illâ siquidem vigente, regna vigent: illâ florente regna florent: coluntur agri, pascũtur pecudes, feruet religio, calent artes, vernant pij, & minùs peccant mali, adeoque vt Petrus Lindebergius refert:

Petr. Lindeberg.

Pax mortis vita, humanę Cynosura salutis,
Torrens lętitię, flos æqui, cura quietis:
Et fons virtutum, & dulcis nutricula vitę.

Liu. 1. Cic. 2. de natura deor.

Hinc Romani pace florẽte, Deo Iano in Vrbe dicauerãt templum sumptuosissimũ quod templum Pacis, appellabant, vbi idem Ianus religiosissimè colebatur, multaq; ip si ab vniuersis ciuibus offerebantur sacrificia, vt ab hostibus eos defenderet. Nulli enim vnquam genti tàm felices fuerunt in bello successus, quin pax eidem fuerit vtilior. Est enim Pax Diuo Thomâ teste: Tranquillitas, Ordinis maximè in voluntate. Pax est, tranquilla libertas, quâ, ô vtinam Polonia vt priscis temporibus floreres? Miramini fortè celeberrimi Auditores, quòd ego in exoptato ingressu Illustrissimi ac Reuerendissimi Antistitis Nostri, de exoptatissima Pace, quã noster Antistes solusmet præstare Poloniæ non

Thom. 1.2. q. 70. a. 3. c. & 2. 2. q. 29. a.

potest

potest, nisi prudenti (vti Senator sapient.) consilio suo? Ne miremini. Auidissimè enim pacem cum Christi Ecclesia vna vobiscum opto & exopto. Da pacem Domine in diebus nostris. Verùm ego de Pace, quam Noster Præsul ingressu suo fælici in virtute sua præstare potest, loquor. Quare: I. Quam Pacem Illustrissime Antistes fieri opto? 2. Quóuè modo? 3. Inquè quibus turribus abundantiam precor? ostendam hac meâ Concione. Proposit. concion.

PARS PRIMA.

Fiat pax. Sed, Quæ?

I. CHRISTI. quam nobis ex hoc mũdo ad Patrem iturus reliquit dicens. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Nõ quomodo mundus dat ego do vobis. Est autem Pax Christi ait D. Augustinus. Tranquillitas mentis, serenitas animi, tranquillitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Nec poterit ad hæreditatem Domini peruenire, qui testamentum pacis noluit obseruare. Nec potest habere concordiam cum CHRISTO,

Ioan. 14.

Aug. de verbis Dñi,

qui discordiam habuit cum Christiano, ait idem Sanctus Doctor. Sunt autem, vt ostendit Hugo, quatuor quæ in nobis pacis quietem frangunt, scilicet, hostis, seruus, vxor, vicinus. Hostis est, diabolus; seruus, mundus; vxor, caro; vicinus, quilibet proximus. Cum ergo diabolus eijcitur: mundus subijcitur: caro affligitur: proximus diligitur: quid aliud agitur, nisi quòd pax in nobis ex omni parte stabilitur? Sic ergo ille veram pacem habet in corde, quem non conturbat memoria præteritorum delictorum; quem non inquietat desiderium futurorum: qui non frangitur aduersis; nec eleuatur prosperis. In pace factus est locus eius, inquit Psalmista. Locus Christi, cor hominis pacifici. Pax similis est secundo signo cœlesti Tauro, cuius prima facies est Mercurij, secunda Lunæ, tertia Saturni. Sic pax triplex. Prima pax pectoris, id est, conscientiæ, similis est faciei Mercurij, qui semper comitatur Solem; quia tunc est conscientia pacata, quando sequitur solem iustitiæ Christum & ei adhæret. Secunda est pax temporis, & hæc est Saturni; quia

Hugo de S. Victore.

Psal. 75.

Pax similis est Tauro signo cęlesti.

Saturnus

Saturnus dicitur à ſaturitate & abundantia, quam tribuit pax temporis. Tertia eſt pax æternitatis, & hæc eſt facies Lunæ ſecundum illud Pſalm. Luna perfecta in æternum. Cùm Sol eſt in ſigno Tauri, terra eſt arabilis. Cùm Chriſtus in corde hominis verus Sol, tunc: fructus iuſtitiæ in pace ſeminatur, vt ait Iacobus Apoſt. Hanc Tu Antiſtes pacē nobis precaris, cùm repræſentās Chriſtum annunciando pacem inter DEVM & homines conuerſus dicis: Pax vobis. Fiat pax hæc Chriſti: Et cum Spiritu tuo. Hanc pacem Dominus dedit Clodoueo Regi Francorum cum omni regno eius per miraculoſum Epiſcopū Remenſem Remigium Sanctum (cuius Tu nomen dignè geris) cùm DEI inprimis, tùm curā & ſtudio ipſius Rex Clodoueus cum Francis ſuſcepit fidem Chriſti. Confirmauit miraculo DEVS hanc pacem Clodouei & Francorum. Nam cùm ſuſcepturus ſacrum Baptiſma Clodoueus cum Remigio ingreſsi eſſent templum, impleuerat maieſtas Domini (vt olim temporibus Salomonis) domum ſuam, & audiebatur vox cœlitùs dicens: Pax vobis.

Pſalm. 88.
Iac. 3.
Ioan. 20.
Guilh. Durād. in Ration: diuini. lib. 4. c. 14. n. 8. 9.
2. Paralip. 7
Baron. Annal. An.

499. n. 5.

Ego ſum, nolite timere, manete in amore meo. Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ ampullam cum Chriſmate ex altari ad fontẽ Sacrum (ſiquidem Clericus Sancti Archiepiſcopi præ turbâ eandem porrigere nequibat) videntibus & ſtupentibus omnibus, Remigio porrexit, vt teſtes ſunt Hincmarus & Amonius, Epiſcopi Remenſes in vitâ eiuſdem Sancti Remigij. Quid enim humilitas pacifera non efficit? Coram Procerum frequentiâ deponenti Clodoueo ornamẽta Regalia, & ad Sacrum lauacrum ſe humilianti cunctis audientibus dixit Sanctus Epiſcopus. Mitis pone colla Sicamber; adora quod incendiſti; incende, quod adoraſti: hoc eſt, Chriſtum adora, cuius Eccleſias incendiſti paganus; incende idola quæ tunc adoraſti. Humilitas pacidica & pacifera eſt. Fiat talis Pax omnibus Chriſtifidelibus. Impleat Dominus hoc templum maieſtate ſua & ſit: Pax æterna ab æterno Patre huic domui.

Hincmar. & Amon. in vita Sancti Remigij.

Io. Trith. lib. 1. compend. Annal. To: 8. & 41.

II. Fiat Pax. Quænam? Reconciliationis ſeu beneplacentiæ. Ita Euãgeliſta pacem ponit, pro reconciliatione. Gloria in excelſis

Luc. 2.

Deo &

Deo & in terra pax hominibus. hoc est, in terris pax, quæ est voluntas Dei bona in hominibus, id est, erga homines. Sic Apostolus de Christo dicit: Ipse est pax nostra. Hoc est, reconciliatio. Latinus interpres Lucæ Nominatiuum Appositiuum vertit in Genitiuum. Congruit hic locus Lucæ cum illo. In quo mihi benè complacui. pro eo quod erat dicendum: erga quem habeo bonum affectum. Fiat pax reconciliationis & beneuolentiæ, εὐδοκία, nō peccatorum. Odimus hanc, cum Dauidq; dicimus: Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns. Triplex pax est peccatorū, scilicet: Pax libidinosæ familiaritatis quæ est carnalium peccatorum. Talis pax non habetur in diebus belli sed otij. Salomon imperauit in diebus pacis, & inclinauit femora sua mulieribus, ait Scriptura Sacra. Dauid in otio peccauit adulterio. Diuus Augustinus scribit, plus nocuisse Romæ euersam Carthaginem, quàm aduersam. Euersa enim Carthagine otiosi peccabant carnalitate, quod aduersus Carthaginem pugnantes non faciebant. Secundo. Pax calumniosæ fraternitatis, quæ est mundialium conspiratorum: quia mali confœde-

Ephes. 2.

Matt. 17.

Psalm. 72.

Pax peccatorum triplex.

I.

Eccl. 47.

2. Reg. 11.

Aug. 3. de Ciuit. Dei.

II.

rant ſe ſe ad inuicē vt bonis reſiſtere poſsint. Hæc pax figuratur per pacem Herodis & Pilati. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam antea inimici erant ad inuicem. Talis pax Iudæ (cum Iudæis) vendentis Chriſtum. Inter ſpinas ſteriles maior eſt connexio, quàm inter arbores fertiles: Sic inter malos maior eſt connexio ad diſcordias & brigas, quàm inter bonos ad bona.

Luc. 23. Ibid. 22. Simile.

III. Tertio. Pax otioſæ impunibilitatis, quæ eſt negligentiæ prelatorum. Cùm prelatus videt delictum puniendum & diſsimulat nec punit, tunc à ſubditis vocatur pacificus. Zelat ſuper tali pace peccatorum Iſaias, ſed & nos. Non eſt pax impijs. Liuor edax rerum. Titus Liuius author eſt, Gallos guſtato Italiæ vino, mox arreptis armis ad ſubigendam illam profectos eſſe, cùm aliam nullam haberent vel paruam vel magnam faciendi belli cauſam, atq; ita Galli pro vino Italico ſanguinem mutarunt proprium.

Iſ. 48. Liu. lib. 5.

Xerxi Perſarum Regi aliquando praden-ti cùm caricæ Atticæ, pulcerrimæ & gratiſſimi ſaporis appoſitæ eſſent; ſuper menſa per Deos iurans immortales & maiorum ſu-

Aelian. lib. 12.

orum testatus cineres, negauit venales sese nisi quæ illas edidisset, subiugatâ regione, comesturum. Quòd autem verbo iurauit Xerxes, id opere præstitit, mox ad subigendam Græciam omnem, tantùm vt caricis illius expleretur profectus; atque ita bellum illud nō solùm vt Princeps leuis; sed etiam vt homo gulosus & vitiosus, mouit. Antigonus Rex cùm quadam nocte secundùm quietem vidisset Mithridatem Regem, falcem manu tenentem, quâ (agricolæ vel) messoris instar vniuersam meteret (& truncaret) Italiam; adeò timere cępit Mithridatem, vt eum quoquo modo interficere statueret. Ita Rex stolidus somnio credens vanissimo, ad arma totum concitauit orbem. Audierant Longobardi, in Pannonia degentes, Italiam pomis dulcibus, carne succi plena, vino odorato, pulcris fæminis, piscium varietate abundare, & rara frigora, temperatosquè calores, habere: Quo nuncio accepto, rerum illarum cupiditate inflammati, arma, Italiam occupaturi sumpserunt. Itaquè Longobardi, non vt hostes vlciscerentur, sed vt vberiorem vitio-

Plutarch. in Demetr.

Paul. Diacon. 18.

rum ac deliciarum materiam haberent, in Italiam venerunt.

Longiſsimo ſanè tempore conſtans inter Carthaginenſes, & Romanos, fuit amicitia. Sed poſteaquam ditiſsimas auri argentiquè venas in Hiſpania eſſe intellexerunt; ſtatim ad bellum conſurrexerunt acerrimum. Ita populi illi nobiliſsimi vt opes raperent alienas, terras vaſtârunt proprias. Eorum, quæ diximus authores ſunt Plutarchus, Paulus Diaconus, Beroſus, & Liuius. Sic impij. Non eſt hæc Pax reconciliationis ſeu beneuolentiæ. Paulus docuit: Solliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Turbatoribus verò ſic precatur: Vtinam abſcindantur qui vos cõturbant. Tradit Ariſtoteles, quòd apes alias pacem diſſoluentes, & mella ſua detrahere cupientes, mortaliter feriunt, vel omninò à ſe repellunt; ſic pacem diſcindentes, & dulcia amicorum obſequia & conſortia malitioſè dirumpentes, expungendi vel omninò repellendi. Seditioſorum domus diruuntur, & ſolo æquantur. M. Flacci, & L. Saturnini ſeditioſorum, non ſolùm corpora trucidata, ſed & penates ſolo æquati ſunt. Clodius Ciceronis ædes, quòd

Flor. 4. 12.

Gal. 5.

Ariſt. lib. animal.

Pœnæ ſeditioſorum.

contra

contra iura Cethegum, & Lētulum indemnatos ſuſtuliſſet, diruit. Sed & Fridericus Imperator pacis publicæ violatoribus, impoſuit pænam publicationis bonorum, & vt domus deſtruatur. C. 1. §. conuenticula de pac. tenen. lib. 2. feud. tit. 13. Et Sp. Caſsium ob ſuſpicionem concupitæ dominationis, Senatus Populuſq; Romanus non contentus ſupplicio afficere, interempto domum ſuperiecit, vt penatum quoquè ſtrage puniretur. Valer. Max. lib. 6. Cap. 1. Iure merito iſta: Pax enim tranquilla libertas. Fiat talis Pax beneuolentiæ, qualem S. Remigius Chriſtianiſsimo Clodoueo primo Regi Francorum impetrauit; cuius quatuor filij Childebertus, Clotarius, Theodoric9, & Clodomirus, regnum inter ſe ſe Galliæ partiti, in ſummâ pace & vnitate ſpiritus fraterni vixerunt. Aduerſarios ſuos vnà coniunctо exercitu omnes profligabant, cum admiratione omnium exterarum gentium; vt teſtatur Hincmarus referente Baronio.

Friderici lex.

Valer. Ma. lib. 6. c. 1.

Hincmar. in vita S. Remig.

Baron. An. 514. n. 3.

III. Fiat Pax. Sint opera miſericordiæ & exerceantur. Per pacem Pſalmiſta intelligit opera miſericordiæ. Ita illud: Rogate quæ

Pſalm. 121.

ad pacem sunt Hierusalem. hoc est, interrogate (ô vos sedes seu iudices qui iudicabitis in extremo iudicio) de operibus misericordiæ. Vnde & Christus solùm in iudicio disceptabit cum iudicandis de operibus misericordiæ. dicens: Esuriui & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. &c. Et alibi dixit: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Iacobus enim Apostolus dicit, quod: Iudiciũ sine misericordiâ illi, qui non facit misericordiã. Præuidens itaque Psalmista quòd in vltimo iudicio disceptatio fiet de operibus misericordiæ, quæ homines ad cælestem Hierusalẽ ducunt, hoc prænuntians dicit ipsis sedibus, id est, Sanctis, qui cum CHRISTO iudicabunt: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, id est, interrogate in iudicio illa quæ ad pacem sunt Hierusalem, id est, illa quæ spectant ad opera misericordiæ, quæ ad cęlestem Hierusalem ducunt. Rogate, Verbum diminutum, pro, interrogate, integro verbo positum. ita interpretatur Diuus Augustinus cum Theologis & Incognitus in Psal. 121. Fiat Pax. exer-

Matth. 25. Ibid. 5. Iac. 2. Rogate quid sit? D. Aug. in Ps. 121. Incogn. in Ps.

ceantur

ceantur opera misericordiæ quæ ducunt ad pacem cœlestem. Quòd autem pacem concilient opera misericordiæ, constat ex verbis Domini dicentis : Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi' Esuriui enim & dedistis mihi manducare ; sitiui & dedistis mihi bibere &c. Sed & exemplis liquet. 121. vert 2269. Matth. 25.

Circa annum Domini Quingentesimũ Trigesimum Septimum. erat quædam puella Alexandrina pupilla à parentibus magnâ facultate locupletibus relicta. Erat autẽ ad huc sine Baptismo. Die verò quadã ingressa pomarium, quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quendam parantem sibi laqueum, vt se præfocaret. Cucurrit igitur & dixit ei. Quid facis ô homo? Dixit autem ei. Dimitte me mulier, quoniam in multa tribulatione sum. Quæ ait. Dic mihi causam, & fortasſis te adiuuare potero. Dixit illi. Graui ære alieno premor, & valdè suffocor à creditoribus meis, elegique potiùs semel vitam finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi : Quæso te accipe omnia, quæ habeo, & redde, tantùm ne perdas te ipsum. Sumens verò ille

Prax. Spir. cap. 27.

Grauitas æris alieni instar mortis.

reddidit omnia. Puella verò angustiari cæpit, non habens qui sibi curam gereret; itaquè destituta parentum solatio, fornicari instituit, & sibi inde victum quærere. Dicebant ergo illi viri Sancti (Theonas, Theodorus, admirantes scilicet.) Quis nouit ista, nisi solus Deus; quomodo scilicet permittatur anima propter causam aliquam, ipsi soli cognitam ad tempus derelinqui? Post aliquãtum verò temporis, infirmata est puella & in se reuersa, compuncta est, orauitquè Pontificem vt faceret illam Christianam. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes: Quis hãc suscipiat, quæ meretrix est? Affligebatur autem vehementer. Cùm verò in his esset angustijs, astitit ei Angelus in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Nunquid reuera istud cupis? Respondit illa: Vtiquè Domine, & deprecor te, vt hoc mihi impetres. Qui ait. Noli tristari. Ego adducam aliquos qui te accipient, Adduxit ergo alios duos & ipsos Sanctos Angelos, duxerunque

Angelus peccatricẽ sed misericordem cõsolatur.

illam ad Ecclesiam: rursusquè seipsos transformantes in personas quaidam illustres, & notas in ordine Augustalium vocãt clericos, presbyterum scilicet & diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant. Dicunt eis Clerici: Vestra charitas pro eâ pollicetur. Illi autem responderunt: Etiam, nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam, baptizauerunt, & albis induta rursus ab eis subuecta est. Quam cùm deposuissent, euanuerunt. Vicini ergo cùm illam ita albis indutam viderent, postquam recesserunt illi, dicunt ei: Quis te baptisauit? Nunciauit autem eis rem totam dicens: Venerunt quidam, & tulerunt me in Ecclesiam, locutiquè sunt clericis, & baptizauerunt me. Et dixerunt ad illam. Qui sunt illi? Cùm verò non posset dicere qui essent illi, abeuntes nunciauerunt Episcopo. Dixit autem Episcopus his, qui ad baptizandum constituti erant. Vos illam baptizastis exorati ab illo & illo Augustalibus. Porrò accersitis ex prætorio his quos clerici dixerãt, dixit Episcopus: Num ipsi pro ista fide iussistis? Qui dixerunt: Neque nouimus, neque

Angelorũ apparitia & ministeriũ.

conscij

conſcij ſumus nobis hoc feciſſe. Tunc verò iam cognouit Epiſcopus, Dei hoc opus eſſe, conuocanſque eam, dixit ei: Dic mihi filia quid geſsiſti boni? Quæ ait: Meretrix exiſtens & paupercula, quid boni operari potui. Dixit ei Epiſcopus: Nihil ne omninò operata es? Dixit ei: Non, niſi quòd videns quendam qui à creditoribus premebatur, ſe ſuffocare volentem, datâ illi omni ſubſtantiâ meâ eliberaui eum. Et his dictis, obdormiuit in Domino. Tunc Epiſcopus glorificans Deum dixit: Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum. Remigius Sanctus inter cætera miſericordiæ opera vix numeranda, illud memorãdum fecit, quòd Genebaldum Epiſcopum Lauduni in peccatum Sacrilegij prolapſum paternâ correctione, incluſione videlicet pro pænitentiâ per certum tempus faciendâ puniuit, non verò Epiſcopatu, quamuis id vrgebat ipſe Genebaldus, priuauit. Fiat pax Chriſti, Beneuolentiæ fraternæ, & operum miſericordiæ.

Pſal. 118. Hincmar. & Amonius in vita S. Remig.

IV. Fiat pax. Proſperi ſint ſucceſſus Tui Antiſtes Illuſtriſsime. Pacis nomen Latinis

conſtricti.

constrictius est quàm Schalem Hebręis. Ea enim vox, integritatem, successus, in scripturis significare solet. Ita dispensator Ioseph timentibus fratribus domini sui dixit: Pax vobiscum nolite timere. dicere voluit: prospere vobis succedet, nolite timere. & Hierem: Pax, pax. idest, successus boni. Græcus probè, explicat vocem Hebraicam Schalem ὑγιαίνει, quod significat vndiquè saluum esse benè, habere. Hinc hæc vox non tàm pacem, quàm omnimodam rerum omnium salutem, successum, ac fælicitatem significat. Pax multa diligentibus legem tuam. ait Dauid, id est, prospera sunt omnia omnibus diligentibus legem tuam. Et Isaias: Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris. Fiat pax. prosperet DEVS omnes conatus tuos pios. Pax continet omnia bona. Pax similis est vento Coro. Est autem Corus vẽtus à dextris Aquilonis, qui circulum ventorum quasi claudit & ad se trahit. Pax per appetitum sui omnes trahit ad se, & velut finis claudit circulum omnium virtutum, & affectionum animæ. Fiat pax. Videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ pacem super Israel.

Gen. 43.
Hier. 6.
Psal. 118.
Is. 48.
Pax similis est vento Cor.
Psal. 127.

Super charissimam patriam communem nostram & matrem, ac altricem. Sanè in pace pulcherrimæ leges de bello feruntur: at in bello legum voces, non ita audiuntur inter strepitus armorum, nec potest componi exercitus more iuuenum, sub ferulâ trementium Magistri vocem. Princeps qui aggressus est bellum, sæpè ærarium vacuum audit, stipendia petentes milites videt, & dum eis nō soluuntur, sęuientes in proprios subditos inermes tolerare cogitur; punire non audet, ne aut desertores sint reliqui, aut in illum rebellent. Fiat, fiat pax. Theodorici filij Clodouei primi Christiani Regis Francorum Anno Domini 514. filia ægrotare cępit, quâ decumbente, pater misit nuncios ad SanctumRemigium Episcopum Remeń, veniret, & manus filiæ imponeret, vt viueret. Ægrotabat tùm & ipse Sanctus Episcopus. Mittit hic Theodoricum discipulum suum habentem gratiā curationū. Dum pergit iste, dicitur ipsi quòd filia Regis iam est mortua. Pergit tamē Theodoricus dicens: Ibo, & quod mihi iniunctū est, explebo. Orat super corpusculum de-

In Actis S. Remigij apud Suriū 1. Iul. To. 4.

functæ

functæ filiolæ, redit anima in corpusculum. Stan S. Remigi, non modò ipse Apostolico Spiritu, sed & tuus discipulus miracula stupenda patrat! Fiat pax successionis huiusmodi inclytis cęptis tuis.

V. Fiat pax. Ecquæ? protectio Dei, & benedictio omnimoda. Ita Paulo pax, pro ἰυθυμία: Iustificati ergo ex fide, ait Apostolus idem, Pacem habeamus ad DEVM per Dominum nostrum IESVM CHRIRTVM. Hoc est, protectionem DEI, & benedictionem omnimodam habeamus à DEO per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Quidni? Nunquid pax non est protectio & benedictio DEI? Nunquid qui pacem habet, non habet DEVM? Pacem habete, ait Apost. & DEVS pacis & dilectionis erit vobiscum. In pace vocauit nos DEVS docet idē Apostolus. Beati pacifici, quoniā filij DEI vocabuntur. In Æthiopia tantam aiunt Anguium vim conuenire, conuoluiquè in gyrum inuicem: vt montis speciem procul aspicientibus reddant: cuiusmodi quidem complexus Anguium, & frugifera eorum cōcordia; causa, vt Plinius inquit,

Rom. 5.

2. Cor. 13.

Matth. 5.

Hieroglyphicum pacis.

Pier. Valer.

l. 15. pag. 145. c.

videtur esse, quare exteræ gentes Caduceum in Pacis argumentum circumdata effigie Anguium fecerint; neque enim cristatos esse in Caduceo, mos est. Fiat pax, sit protectio Ecclesiæ DEI, & patriæ nostræ intercedēte San: Remigio. Abiturus in patriam æternam S. Remigius, benedictionem & maledictionem in suo testamento genti Francorum, cum subscriptione trium Episcoporum reliquit. Benedictionem, si fidem Catholicam tenerent; maledictionem si ab eadem apostatarent. Gaudentque Franci per merita Sancti Remigij eo priuilegio, quòd feras gentes domuissent, & regnum Gallici idiomatis in quiete obtinuissent, & Catholicam fidem per id Regnum dilatassent. Verentur Franci malectionem Sancti Remigij, ideòq́, non apostatant à fide Catholica, nec degenerant ab auitis moribus suorum maiorum. Fiat eiusmodi pax in Poloniâ, vt non à fide Apostolicâ desciscant, nec à moribus maiorum suorum Sanctorum recedant, iuraquè de fide Catholicâ tenendâ zelosè teneant. Fiat pax.

Turon. lib. 2. de gest. Franc. cap. vlt.

Brisson. de form. lib. 7.

PARS SECVNDA.

At, Quomodo?

In virtute tuâ. Quo pacto?

I. IN moribus Sanctis tuis & honestis, seu virtutibus Christianis. sic Princeps Apostolorum virtutem accipit, pro moribus Sanctis & honestis, quorum fons est fides. Sic enim ille: Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Virtutes Christianas enumerat Apostolus Paulus omnibus piis communes prolixè ad Romanos scribens. Sunt enim virtutes, portæ cælestes. Hæc porta Domini iusti intrabunt in eam. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum faciens abominationem & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ & agni. Ideò ait Psalmista. In me sunt DEVS vota tua quæ reddam laudationes tibi. Virtute armorum spiritualium pax comparatur, quæ Apostolus enumerat dicens: Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.

2. Petr. 1. Rom. 12. Psal. 117. Apoc. 21. Psal. 55. Ephes. 6.

infra verò. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo posſitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere; & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus (quod eſt verbum DEI) Sex autem armorum ſpiritualium genera, quibus ſpiritualiter armari debeamus & pacem habeamus, enumerat Doctor gentium, ſcilicet: 1. Arma caſtitatis & munditiæ, cùm dicit: State ſuccincti lumbos veſtros. 2. Arma æquitatis & iuſtitiæ ibi: Induti loricam iuſtitiæ. 3. Arma paupertatis voluntariæ. Calceati pedes. 4. Arma fidelitatis & credẽtiæ: In omnibus ſumentes ſcutum fidei. 5. Arma ſpei electoriæ. Et galeam ſalutis aſſumite. 6. Arma veritatis ſcripturæ ſacræ. Et gladium ſpiritus quod eſt verbũ DEI. Hæc arma ſunt. Turris fortitudinis à facie inimici. Virtute horum armorum quibus armatus es. Fiat pax in virtute tuâ. Ornauit Te DEVS ex natura Illuſtriſsime Antiſtes, virtutibus magnis, quæ non à natura, (cùm Ariſtotele loquor) neque præter naturam in nobis ſunt, ſed nati factiquè ſumus ad eas, & percipiendas naturã, & efficiendas conſuetudine. Triplex autem o-

Arma ſpiritualia ſex.

Pſal. 60.

Ariſt. lib. 2 Ethic: c. 1.

Triplex ori-

tem origo ſit virtutum, quæ in diuerſis Sanctis reperitur neceſſe eſt. Prima eſt, ex naturæ aptitudine. Secunda, ex gratiæ plenitudine. Tertiâ, ex perfectorum ſimilitudine. Virtutum perfectionẽ ſimilem eſſe Arcturo video. Arcturus nãq; (de quo Iob: Qui facit Arcturum & Orionas) à ſeptẽ ſtellis in axe fixis & in ſe reuolutis conſtituitur. Hoc ergo ſignum ſeptem ſtellarum, ſignificat in animâ perfectionem ſeptem virtutum, Trium Theologicarum; Fidei, Spei, Charitatis: Quatuor verò Cardinalium: Prudentiæ, Iuſtitiæ, Tẽperantiæ, & Fortitudinis. Vt cœlum ſeptem planetis ornatur: ſic tu Eccleſiam DEI (Regnum enim cœlorum eſt Eccleſia, vt D. Gregorius interpretatur) ſeptem prædictis virtutibus ornas. Ex naturæ enim aptitudine, quæ Te ad omnia bona effinxit, videris ornatus eſſe omnibus virtutibus, tàm Theologicis & Cardinalibus; quàm Politicis & Ethicis. Conceſsit DEVS naturæ Tuæ ex gratia ſuâ multa adiumenta virtutum. Ex perfectorum ſimilitudine habes id, quòd Epiſcopus vix trigeſimum annum agens, factus es. Æquare forte

[Margin: go virtutũ. — Arcturo perfectio virtutum ſimilis. Iob. 9. — D. Greg. hom. 15. in Euangel.]

re fortè DEVS Optimus volebat annos Episcopatus Tui, annis Episcopatus Sancti Remigij patroni Tui, qui post mortem Gennadij, à populo Remẽsi, cum nec ætate se excusare, viginti duorum tantùm existens annorum, potuisset, nec fugere valuisset, nec vllis precibus & excusationibus locum apud ipsum inuenisset, in Episcopum Anno Domini 471. electus est. Nec defuit miraculum in consecratione Sancti Remigij. Etenim lux instar solis in capite eius visa est: sensitquè S. Epũs humectatum caput aliquibus vnguentis pretiosis delibitum. Quis tibi tum Sancte Antistes ardor in corde tuo in DEVM flagrabat? quanto amore Christi æstuabas? quanto incalueras igne Spiritus Sancti, quis explicare vel concipere potest? In capite Sancti Martini Episcopi Turoneñ, ad altare Sanctum diuinissimum sacrificium sacrificantis, globus igneus visus est; in tua verò D. Episcope cõsecratione, solis instar lumen in capite stetit. O diuinam potentiam, & mirabilem DEVM lumen de lumine! Diuina prouidentia, cùm Tibi ipsi modò Conespoli prodesse cogitabas

Hincmarus in vitâ Sancti Remigij. Sigebertus. Sidonius li. 9. Epist. 7.

Seuer. Sulpit. in vitâ S. Martini.

& vole-

& volebas, nolebat lucernam accenſam ſub modio ponere, ſed ſuper candelabrum Te poſuit, vt qui ingrediuntur lumen videant, lumen inquam virtutum & gratiæ D E I, in Te. Non ambiebas Tu quidem Epiſcopatum, ſed ne quidem de aſcenſu vllo, propriæ tantùm volens conſulere ſaluti, cogitabas, Sed: *Hæc mutatio dexteræ excelſi.* In medio Eccleſiæ. *Statuit tibi teſtamentum pacis & principem fecit, vt ſit tibi Sacerdotij dignitas in æternum.* Vt olim Gratianus Imperator Romanorum Auguſtiſsimus, ne cogitanti quidem pio ac ſtrenuo militi Theodoſio Imperium detulit, vt de illo Claudianus cecinerit:

Psal. 76. Eccl. 45. Baron. An. Dñi 379. Claudian⁹.

Digna legi virtus vltrò ſe purpura ſupplex
Obtulit, & ſolus meruit regnare rogatus.

Sic Tu ne cogitans à Sereniſsimo Sigiſmundo Tertio regnante moderno Rege Epiſcopus deſignaris, à Venerabiliquè prudenti Capitulo Tuo eligeris, & à Sanctiſsimo Vrbano Octauo eius nominis fęliciter moderno confirmaris.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus.
Quis enim virtutem amplectitur ipſam
Pręmia ſi tollas?

Horat. car. l. 3. Od. 2.

Ar. l. 1. Ethic. c. 9. Cic. Rhetor. lib. 3.

Virtutis merces (ait Ariſtoteles) ac finis optimum quiddam eſt, diuinum & beatum. Cicero verò: Omnes (inquit ille) benè viuendi rationes in virtute ſunt collocandæ, propterea quòd ſola virtus in ſuâ poteſtate eſt. Omnia præter eam ſubiecta ſunt fortunæ dominationi. Fiat pax in virtute tuâ. Horatianis Tibi verbis gratulor Antiſtes digniſſime.

Horat. epiſt. lib. 2. epiſt. 2. ad Iul.

> I bone quò virtus tua te vocat, i pede fauſto,
> Grandia laturus meritorum præmia.

II. Fiat pax in virtute tuâ. Non modò in virtutibus Tuis glorioſis Fiat pax, ſed & in potentiâ ſeu poteſtate tuâ. Virtutis nomine plerumquè Sacra Scriptura potentiam deſignat. Sic illud Pſalmiſtæ: Deus noſter refugium & virtus. potentia ſeu poteſtas mea. Et illud: Domine virtus ſalutis meæ. hoc eſt, Domine poteſtas ſalutis meæ. Poteſtas propriè nominat potentiam actiuam cum aliquâ præeminentiâ, teſte D. Thomâ. Tunc autem ſolùm poteſtas benè geritur, docet Sanctus Gregorius, quũ non amando ſed timendo retinetur, quæ vt miniſtrari rectè valeat, oportet primùm vt

Pſal. 45. Pſal. 131. Sēt. 4. diſt. 24. 9. 1. a 1. Lib. Mor.

hanc non cupiditas, ſed neceſsitas imponat. Quamuis Illuſtri auitiſsimâq; Familiâ originem ducis Illuſtriſsime Antiſtes, poteſtatem tamen ſuper hanc Diœceſim Chełmenſem non Tibi cupiditas, ſed neceſsitas impoſuit. Non ego eo animo fieri pacem commemoro in virtute tua, id eſt, in poteſtate tuâ, quò animum Tuum aliquâ ambitione infectum fuiſſe dixerim, ſed magis miror, maiores Tuos illud M. Catonis Sanctum ferè conſilium, quo conſulebat: Potentes parcè vti poteſtate debere, vt ſemp vti poſsint, inuiolabiliter obſeruaſſe. ob idquè ſemper munijs publicis Regni huius Inclyti floruiſſe. O mitto multos, memoro tantùm Anno Domini 1424. ex Comitijs Corcinenſibus à Vladiſlao Iagellone, totâque Republicâ Ioannem Coneſpolium Cancellarium Regni, cum Sbigneo Oleſnicio reprehēſore eiuſdem Vladiſlai, ad Concilium Baſilienſe, occaſione Sigiſmundi Imperatoris, Cruciferorumque obtrectatorum & criminatorum, legatos, qui Regis & vniuerſi Regni perſonam ſuſtinerent, cum alijs duobus Staniſlao Poſnanienſe Epiſcopo, & Nicolao Laſ-

Stob. Ser. de Magiſtr.

Mart. Cromari lib. 20

ſocio Decano Cracouienſe, miſſos fuiſſe. Mitto eiuſdem Ioannis Coneſpolij Cancellarij Regni legationem ad Sigiſmundum Imperatorem, cum Oleſnicio Marſchalco, & cum Andrea Poſnanienſe Epiſcopo, eundem Cancellarium in Pruſsiam à Caſmiro ad recipiendum iuramentum à Pruſsis, miſſum fuiſſe. Tacitùs prætereo Prediborium Coneſpoliū Sendomirienſem Caſtellanum Anno 1446. cum alijs in coronatione Cazimiri operam locantem, cui etiam rerum Valachicarum cura cum Ioanne Cizouio Cracouienſe, & Petro Samotulio Poſnanienſe, demandata erat. Floruerunt iſti in publicis munijs quia erant: Eccle 43. Homines virtutis in virtute ſtudium habētes. Floruerūt in officijs Regni & Senatoriâ dignitate continuis tēporibus: florent & modernis temporibus, Viuit præſenti per DEI gratiam fulgetque claritate Illuſtriſſ. Dominus Stanislaus germanus frater Illuſtr. ac Reueredisſ. Amplitudinis Tuæ Palatinus Sendomirienſis & Generalis Dux Exercituum Regni, qui quanta pro ſalute Reipublicæ, tàm in bello quàm in captiuitate Turcicâ paſſus ſit, nos o-

minari

minari & augurari poſſumus, ipſe melius nouit, & experientiâ ipſâ didicit ac expertus eſt. Tres Senatores Reſpublica Coneſpolios temporibus iſtis in Ampliſsimi huius Regni Senatu conſpicit: Te, Tuumque germanum, & Chelmenſem Caſtellanum patruelem, fratres; Videt & Officiales ſeu brachia regalia, Illr. ac Magnificos Dominos vterinos Tuos, Chriſtopherum Strienſem: & Ioannem Wielunenſem Capitaneos: Homines virtutis in virtute ſtudium habentes. Floretis Coneſpolij, ac vtinam floreatis vt floretis virtutibus ōnibus. Eccl. 43.

Conſpicitur nunquam meliore potentia cauſa,
Quàm quoties vanas non ſinit eſſe preces. Ouid. 2. Pont. 3.

Poteſtas, vt ſuprà dixi, propriè nominat potentiam actiuam cum aliqua præeminentia. D. Tho: vbi ſup. Nominat potentiam actiuam. Cur ſic? Nō eſt enim: *Poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Rom. 13. Et Chriſtus Dominus Pilato dicens de ſua poteſtate, reſpondit: *Non haberes poteſtatem niſi tibi datum eſſet deſuper.* Ioan. 19. De ſuper datur hominibus cum præeminentia poteſtas, ideòque diuinum quiddam in ſe habet. Anno Chriſti Domini Quingenteſimo

Decimo Quarto habita eſt per Sanctum Remigium Epiſcopũ Rhemenſem Synodus Gallicana, in quam conuenerunt Epiſcopi Galliæ, ac diuerſarum Prouinciarum. Erant autem Gallicanæ regiones ob Gotos Arianos, qui ibi regnârant, non nihil hæreſis eius labe conſperſæ: quamobrem Sanctiſsimi Epiſcopi in illud præcipuè incubuerunt, vt fidem Catholicam ab eâ contagione liberam conſeruarent. Coacto igitur Rhemis ſacro Patrũ conuentu, accidit, vt inter filios DEI, (vt eſt in Iob) & Sathan quoquè aſsiſtere præſumpſerit, nimirum Arianus Epiſcopus, qui tãquàm nouus Goliath exprobrans agminibus DEI viuentis, prouocanſquè eos ad ſingulare certamen, ſtrenuus perfidiæ propugnator, ſuperbiâquè inflatus, Catholicis omnibus inſultabat. Sed exſurrexit ex aduerſo non iuuenis rurſus aſpectu vt Dauid, ſed veneranda canitie Sanctiſsimus ſenex Apoſtolicus vir Remigius, eiuſque factum compreſsit, atque victum ad Chriſti fidem perduxit. Id autem quomodo factum ſit, Hincmarus in Actis ipſius Sancti Remigij deſcribit his verbis. Ei

Iob. 1.

Hincmarus in Actis S.

Synodo

Synodo Arianus quidam Hæreticus acerrimus disputator, & dialecticis propositionib' ac conclusionibus confisus, & inde nimis clarus intererat. Ingrediente autem Sancto Remigio Episcoporum concilium, à multitudine Patrum expectantium, assurgentibus omnibus reuerenter, sicut Angelus DEI suscipitur: Superbus autem hæreticus, & malè de viro DEI sentiens, dedignatus est ei assurgere. Qui protinùs cùm Sanctus Remigius ante eum transijt, ita obmutuit: vt nec verbum quidem vllum effari potuerit. Magnū planè miraculum, garrulam linguam & petulantem, quæ DEI Filium iugiter blasphemabat, solo transitu compressisse, vinculis inuisibilibus obligasse, atque intra dentium claustra arcto carcere obserâsse. Qui igitur Apostolicâ legatione vicefungitur Petri, instar Petri vmbræ transitu curat infirmum vinciendum tamen antea tanquam phreneticum ligaminibus. At quomodò id acciderit, audi quod subdit: Expectantibus (inquit) omnibus, vt post allocutionem Sancti Remigij hæreticus ille aliquid diceret, nihil potuit lo-

Remigij.

Baron. An. Dom. 514.

qui, ſed ad veſtigia Sancti viri pronus cadẽs, nutibus veniam petijt. Cui Sanctus dixit: In nomine Domini noſtri IESV CHRISTI veri Filij DEI viui, ſi ita de eo rectè ſentis, loquere; & de illo ſicut Catholica credit Eccleſia, crede, & confitere. Ad cuius vocem antè ſuperbus hæreticus, humilis iam & Catholicus, Catholicam fidem de Sancta & inſeparabili Trinitate, & de Chriſti Incarnatione, Catholicè confeſſus eſt, & in eadem confeſſionis ſuæ fide, ſe permanſurum profeſſus eſt. Sicque animo per infidelitatẽ perdito, & corporali voce propter ſuperbiam condemnato: virtute diuinâ Sanctus Remigius, & animæ & corporis reddidit ſanitatem, cunctis qui aderant ſeu hæc audituri erant, Sacerdotibus patenter oſtendens, de male ſentiendo peccante in Chriſtum, qui per humanitatem proximꝰ & frater nobis fieri dignatus eſt, quomodo erga peccantes in ſe, vel in Eccleſiam, atque rebelles, & erga poſt recognoſcentes & pænitentes debeant agere. Num non ineſſe diuinum quid poteſtati dicetis Auditores Eruditiſsimi ac Excellentiſsimi! Fiat

pax

pax in virtute tuâ, in moribus, virtutibus, ac poteſtate, tuis, ſed & in authoritate.

III. Fiat pax in authoritate tuâ. Scriptura Sacra in Actis Apoſtolorum virtutem accipit pro Authoritate. Sic enim D. Lucas: Virtute magnâ reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis IESV CHRISTI Domini noſtri. Vbi virtus non pro potentiâ miraculorum, ſed pro Authoritate & libertate diceñ ponitur. Fiat pax in virtute tuâ, in authoritate tuâ. Docet Seneca authoritatis originem dicens: Non cani, non rugæ, repentè authoritatem afferre poſſunt, ſed honeſtè acta ſuperior ætas, fructus capit authoritatis extremos. Hanc authoritatẽ ſeu libertatem iuſsit Apoſtolus Timotheũ ſuum obſeruare, cui ſcribit: Teſtificor coram Deo & IESV CHRISTO, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos per audentum ipſius & regnum eius prædica verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrinâ. Hanc & ipſe Apoſtolus obſeruauit. Sic enim Corinthijs ſcribit: Nòn ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum eſtis in Domino? Et ſi alijs non ſum Apoſtolus, ſed ta-

Act. 4.

Sen. lib. de Senect.

2. Tim. 4.

1. Cor. 9.

men vobis sum ; nam signaculum Apostolatus mei e-
stis in Domino. Fiat pax in authoritate tuâ,
Paulina, Thimotheina, Petrina. Sic enim
Princeps Apostolorum : Seniores ergo qui
in vobis sunt, obsecro consenior & testis Chri-
1. Petr. 5. sti passionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda est
gloriæ communicator ; pascite qui in vobis est gregem
DEI prouidentes non coactè, sed spontaneè secun-
dùm DEVM ; neque turpis lucri gratia, sed volunta-
riè ; neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gre-
gis ex animo. & cùm apparuerit Princeps pastorum,
percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Sic &
ipse CHRISTVS Princeps Pastorum, &
Luc. 10. Summus Pontifex parabolicè docuit. Do-
cet enim quòd saucij ab Hierusalem in Hieri-
cho descendentis, & à latronibus spoliati,
plagis affecti & semiuiui relicti, Samaritanus
alligauit vulnera infundens oleum & vinum.
Priùs oleum, id est, misericordiam ; postea vi-
num, id est, austeritatem infudit. Correctio de-
bet esse in omni patientiâ & doctrinâ cum sa-
2. Tim. 4. na doctrinâ non sustinetur, vt Timotheum eru-
dit Paulus. Indignatus olim DEVS Pastorib⁹
Israel, ptophetare iussit ad eos Ezechielē Pro-
phetā suū dicens: Fili hominis Propheta de pastori-
Ezech. 34. bus Israel: Propheta & dices pastoribus: Hęc dicit Dn̄s

DEVS:

DEVS: Væ Paſtorib⁹ Iſrael qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comede, batis & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occi, debatis: gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum nō ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæ, ſiſtis: ſed cū auſteritate imperabatis eis,& cum potētia. Sed ego precor Antiſtes Illuſtriſsime, Fiat pax in virtute Tuâ, in Authoritate Tua. Quod infirmum eſt conſolida; quod ægrotum ſana; quod confractum alliga; quod abiectum eſt reduc; quod perijt, quære. Olim Iezabella ſolatura ſuum virum Achabum in mærore ob vineam à Nabotho ipſi negatam poſitum, iactanter dixit: Grandis Authoritatis es & benè regis Iſrael. Non cum Iezabella ego fœmina iniqua, de authoritate tua loquor, ſed verba vniuerſæ tribus Iſrael Dauidem ſibi in regem poſtulantis, lætus recito: Dixit Dominus ad te. Tu paſces populum meum Iſrael. Fecit Tibi Dominus nomen grande (Verba DEI indigniſsimus puluiuſculus refero) iuxta nomen magnorum qui ſuut in terra: Impoſuitq; Tibi onus Epiſcopale Angelicis humeris formidādū: vt (Dei verba puluis & cinis loquor)

3. Reg. 21.

2. Reg 5. 7.

Hier. 1.

euellas,

euellas, destruas, & disperdas, & dissipes & ædifices, & plantes. Quod infirmum est, consolida; quod ægrotum, sana; quod abiectum, reduc; quod perijt, quære. Iam per DEI gratiam Abbatiæ Andreiouieñ recuperasti terras, possessiones, agrosque deperditos; & hîc in hac Tua Diœcesi idem tibi faciendum esse censeto. Succurrendum erit afflicto clero, restaurandæ erunt Tua cura desolatæ & deuastatæ à Tartaris Ecclesiæ. Vindicandæ erunt proprio sumptu pauperiorum Ecclesiarum decimæ, à multis annis per homines laxioris conscientiæ detentæ: sed id totum facies intuitu exemplaris (vt Moses olim) quod Tibi monstrauit DEVS. Intuitu inquam exempli Apostolici Episcopi Remigij Tui Patroni id facillime facies, efficies, & perficies. Is enim Sanctus non modò viuus Ecclesias DEI, & earum prærogatiuas ac immunitates promouebat, & defendebat, sed & post mortem earumdem insignis defensor exstitit. Refert autē huius rei Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis duo exempla sub Anno Domini 840. Ludouico Roma-

Exot 25.

norū

norũ Imperatore imperante, duo fratres Franci adimebant limitibus siue granitiebus syluam villæ Ecclesiæ Remeñ, per Sanctum Remigium emptæ Vossugi dictæ. Ibi dum per syluam discurrunt, alter illorum vidit inter apros feros lupum, quem cùm insequitur, illisit caput grandi arboris ramo, & elisit cerebrum, subitòque ex equo cadens mortuus est. Alter verò ad petram quandam accurrens clamabat: Hîc limes & granicies est syluæ Cęsareæ. cùmque signans & notans limitem securi percuteret petram, lapilli ex petra illa excussi in oculos eius inciderunt, continuòque cęcum fecerunt. Post mortem verò Ludouici Cęsaris, populabantur prædones villanas domos. Miselli homines tractus Niruenensis reculas suas in Ecclesiam, quæ reliquias sancti Remigij habebat, tutioris loci causâ comportarant. Cùm autem nequã prædatores & populatores Ecclesiam effracturi, & spoliaturi venissent, alter illorum pede quatiens fores, illisit pedem foribus extrahere eundem non valens: & cadens, opem sibi ferri, clamabat. Perterriti reliqui, fu-

Hincmarus Archiepiscopus Remen in vita Sancti Remigij.

Hincmar. ibidem.

 gerunt,

gerunt. Effractor verò vel potius illisor, emendam vitæ suæ & pænitentiam pollicitus, à DEO per Sanctum Remigium veniam pedi extrahendo impetrauit, claudus nihilominùs ad mortem vsque, in memoriam facti & miraculi effectus. Habes Illustrisime Antistes quod imiteris exemplar, cuius intuitu Tu quoquè Authoritate Tua patrocinare Ecclesijs curæ Tuæ commisis. Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis.

PARS TERTIA.

Sed in quibus turribus?

In principibus turribus abundantiam pacis in virtute tuâ fieri precor.

Ecclesia in Antiph. Dedic. Eccl.

I. IN vniuersis vtriusquè sexus Christi fidelibus. Fideles Christi sunt turres: Lapides pretiosi cantat Sponsa Christi. Omnes muri tui, & turres Hierusalem gemmis ædificabuntur. Turres sunt electi DEI, quia habent in se se fortisimam turrim. Quam nam?

Nomen Domini. Vidi, ait Ioannes, Et ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadragitanta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis, nomen eius, id est, Filij. Et alio in loco idem Ioannes dicit Et videbunt faciem eius (Hoc est, Filij) & nomen eius in frontibus eorum. Turris fortissima nomen Domini, inquit Spiritus Sanctus per Salomonem. Per Psalmistā verò: Sanctū & terribile nomē eius. Terribile, quia ei omne genu flectitur, & Tartareæ potestates cōtremiscūt. In nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Terribile Tartareis potestatibus, quia: Et dæmones credunt & contremiscunt: In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Cantat Psalmista. Et Isaias. Mementote quoniam excelsum est Nomen eius. Alio verò in loco idem Isaïas in persona Domini DEI protestatur dicens: Omnem qui inuocat nomen meum in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. Ioël Propheta: Et erit: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Psal. verò psallit: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. Quid multis? Num non in nomine Sanctiss. Trinitatis baptizamur ex doctrina Saluatoris: In nomine Patris & Filij &

Apoc, 14. Ibid. 22. Prou. 18. Psal. 110. Philip. 2. Iac. 2. Psal. 43. Is. 12. Ibid. 43. Ioel 2. Psal. 24. Matth. 28.

Spiritus Sancti? Nunquid non Christus dixit: Mar. 16. In nomine meo dæmonia eÿcient; linguis loquentur, serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. Clarificauit Filij sui nomen Sanctiss. Ioan. 12. DEVS Pater claritate, quā habuit apud ipsum priusquàm mundus fieret. Ibid. 16. Ideò in nomine suo omnia petere à Patre docuit eos. Turres Hierusalem Cœlestis fideles Christi gemmis (id est, virtutibus) ædificabuntur. Ideò ad ipsos Petrus: 1. Petr. 2. Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vocauit vos in admirabile nomen suū. Fiat abundantia prædicta totius pacis in Turribus Tuis, In Christi fidelibus curæ Tuæ pastorali subiectis.

II. Fiat abundantia eiusdem pacis à nobis memoratæ in Turribus Tuis, In Sacerdotibus Tuis Diœcesanis, (sed ego candidissimâ mente omnibus precor) Fiat abundatia pacis in Turribus Tuis, in Sacerdotibus, inquam. Sacerdotes sunt Turres. Paterfamilias Euangelicus: Matth. 21. Plantauit vineam, id est Ecclesiam, & ædificauit Turrim in